

**Publication/Creation**

June 1949

**Persistent URL**

<https://wellcomecollection.org/works/dt2nmhtk>

**License and attribution**

Wellcome Library; GB.

This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.

Rursus ac/  
ausat Aristote/  
telem

Collatio si/  
militudinis

Dissimilitu/  
do aliqua

go nat vegeta/  
naturam in aliis pop.

Duo princi/  
pia foetus ac/  
quisiticia

Principium  
foetus plan/  
taticum

Secunda

ortum, sursum quidem truncum & ramos usque ad extrema germina producentes, deorsum uero radicationem distribuentes. Sic & in foetibus, multifidæ sunt arteriæ & uenæ, uelut trunci quidem in totum foetum, uelut radices uero, in uterum desinentes. Quapropter iusta accusatione Aristotelem accusauerim, non solum quod neglexerit, quæ negligere ipsum non conueniebat, sed & quod sui ipsius dogmatū oblitus est, & naturæ opera differenter exponit, circa plantas & circa animalia. Videns itaque in omnibus plantis semen non minus materiale, quam opifex seu efficiens principium in se habere, in animalibus alterum ausfert, quanquam hoc solum sufficiebat uiro circa naturam admirando, genitrix utilitatem ostendere. Si enim natura seminis non alijs viribus producit plantam, alijs animal, ea quæ in plantis uides ad animalia transfer, eandem enim proportionem in utrisque reperies. Opus namque habet plantæ semen terra, ut ex ipsa nutritur & augescat. Indiget & nostrum semen utero, ob easdem causas. Radices sibi ipsi generat planta, quibus trahat alimentum ex terra. Secunda itidem uasa, foetuum radices. Producit truncum à seipso semen, & ab illo ramos, deinde alios rursus in alios ramulos disseccos, & postea illos rursus in alios, atque id usque ad extrema germina fieri non cessat. Id ipsum etiam hic uides, truncos quidem tres iuxta unumquodque principium sigulos, utpote arteriam aortam, uenam cauam, & medullam spinalem, rursus autem ex his multos exortus uel ramos, in alios rursus minores ramulos dissectos, deinde illos rursus in alios, atque hoc itidem fieri non cessat usq; ad extrema germina. Si uero triplicem hanc plantam uides, aut sanguinariam, aut carnosam, ea gratia non conuenit aliud quiddam & non plantam ipsam putare. Opificem enim eundem ambo habent & animam plantaticiam. Verum illud considera, quod hæc planta animal futura est, non reiecta quam à principio habuit facultate, sed altera insuper acquisita. Ex loco autem in locum ipsum transire oportet, ubi perfectum fuerit & ex utero solutum, at uero hoc facere non possit, si frigidum similiter ut arbores fieret, & si organis ad ambulandum aptis careret. Quo igitur simul moderate calidum esset, in quantum animali calidum esse conuenit, simulq; locos mutare possit, duo principia acquisiuit, alterum organorum quæ custoditura sunt ipsi naturalem caliditatem, alterum eorum quæ subservit omnis ad quas concitatur actionibus, sed his quidem posterius utetur. Principium autem plantaticum omnium primum habet, quod non ex sanguine, sed ex ipso semine, arteriam & uenam, & neruum, os item & pelliculam product. hæc enim supra habitus sermo exposuit, & secundam quidem primum forinsecus ipsi circundedit, ac simul cum ipso farciminalem pelliculam fecit, adiuturam quidem, ut dictum est, secundam in materiem attractione, suscepturam autem formati animalis urinam.

Necessaria